



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

LXX. Laus eloquentiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

*Cyoton.  
Gell.*

quati, Corvini, inter Iudæos Samson, David; inter Christianos Constantinus, Theodosius uterque; iis usi fuerunt. Oberunt si imitemur Og regem Basan; (cujus lectus ferreus, Deuter. 3. v.ii. novem dicitur fuisse cubitorum,) & reliquos gigantes, Babylonios item in cælum usque erigere turrim conantes. VALETUDO prodest ad Deum promptius colendum Obest ejus prosperitas, divini cultus oblivionem inducens, & ad luxuriam plurimum impellens. *Inter Sensus nobilissimus* reliquorum Visus quod obesse queat, satis indicat, quod Christus oculos erui jubeat: si offendiculo sint: quod verò profint, omnium scientiarum inventio argumentum est. Solet enim à Philosophis visus inventionis appellari sensus; quemadmodum AUDITUS doctrinæ, ad quæ illud Paulinum referendum est; *Corrumpunt bonos mores, colloquia prava.* cupidiarum refrænderarum seu laxandarum sensus GUSTUS est, ut TACTUS corporis voluptatum.

CONCLUSIO *adhortabitur Auditores*, tutissimam uti sequantur partem, & quicquid in singulis totius corporis bonis reperiunt commendandum, id totis viribus & nervis consecrentur, quod verò improbum, id velis & remis avertentur.

### LXX. IN LAUDEM ELOQUENTIAE.

EXORDIUM *Ab officio tuo, quod declarabis communi omnium judicio:* Si nullus inveniri potest, qui non optimo jure artis suæ celebret laudes, quis jure succenseat, si in commendationem dicendi facultatis, cui inuigilo, nonnulla in medium adferat?

CONFIR. I. Locus, *ab honesto.* Honestati Eloquentiæ studium repugnare nemo sanæ mentis facile affirmaverit, cū ejus præsidio à brutis non solum animantibus, sed etiã ab ipsis hominibus homines distinguantur. *amplificabis hunc locum ab enumeratio-*

tionem eorum beneficiorum, quæ divina bonitas  
in creaturas rationis expertes tum in homi-  
nes contulit.

II. *Ab utili*, per enumerationem variorum com-  
modorum, quæ Eloquentia primum quidem in  
suos cultores, deinde verò in proximos, atq; adeo  
in universam Remp. conferre solet. Inter beneficia,  
quæ studiosis Eloquentiæ conferuntur, amplissi-  
mæ referendæ sunt opes & facultates, summi ho-  
norum gradus, immortalitatis nomē, & gloria, quæ  
nulla posterorū oblivio unquam obscurabit, *pro-  
babis exemplis*, Ciceronis, Demosthenis, & aliorū,  
&c. Beneficia verò, quæ ex Eloquentia ad alios  
promanant sunt, cōsolari mœstos, erigere despe-  
ratos, Remp. afflictam ac penè perditam ad pristi-  
nam dignitatem revocare, injuriam repellere, pe-  
stes Reip. omnesq; quibus nil antiquius esse vide-  
tur nece civium, & eversione Reip. internecioni  
tradere, seditiones & tumultus populi sedare. Sin-  
gula uno vel altero declarabis exemplo.

III. *à necessario*, cujus probationem sumes à deplo-  
rata hujus temporis conditione. Nam cum videam-  
us per inanem loquacitatem hæreticorum infi-  
nita propemodum hominum millia à vera fidei  
regula in perniciosos labi errores, nihil viderur  
spei relictum esse revocandæ pristinæ Religionis,  
nisi omni studio & labore Eloquentiæ operam de-  
mus, aut in dicendi facultatis studio plurimum o-  
peræ diligentiaq; ponamus, & paribus armis sa-  
luti proximorum prospiciamus, quibus ad perni-  
ciem eorum utuntur.

In PERORATIONE primò fiat *Prosopopeia ad Phi-  
losophici studij cultores*, ut quidquid nancisci pos-  
sunt temporis, id huic studio tribuant, certissime-  
que animum inducant Eloquentiam Philosophiæ  
conjunctam innumerabiles hoc deplorato sæculo

Q3

Reip.

Reip. utilitates allaturam. Deinde eadem convertantur ad eos, qui in humaniorum litterarum studiis versantur, ut seposita rejectaque omni socordia, ardentissimis desideriis studium Eloquentiæ arripiant; certissimeq; secum statuunt, si modo diligentes fuerint, fote, ut non exiguos progressus parvo tempore faciant, rationemq; addiscant proximorum calamitatibus succurrendi, Reip. benè consulendi, deniq; hæreticorum technas, fraudes, & sceleratos dolos detegendi.

LXXI. DE RERVM MVNDANARVM studio contemnendo.

**I**N EXORDIO dices: Indignum esse, hominum animos, non diuturnis huius mundi voluptatibus delinitos, averti à memoria rerum cælestium: tantaque ferri dementia, ut gravissimo exilio patriam illam longè iucundissimam postponant. *Probabis à definitione hominis.* Cùm enim animal sit rationis particeps, intelligentia, iudicioque præter cætera instructum, omnino convenit ad summam felicitatem contendere, cunctaque amovere, quæ vel minimum impedimentum laudatissimo huic conatui possunt objicere.

*In PROPOSITIONE dices:* Tibi certum ac deliberatum esse præter hanc & alias afferre causas, quæ merito Christianos impellere debeant ad contempionem rerum huius mundi.

**CONFIRMATIONIS. I.** *Locus sumatur à facili:* Nullius erit negotii rerum sæcularium studium amandare, si parvo (ut cuilibet natura dicitur) sumus contenti, si quæ mundus offerat respiciamus, si blandimentis ejus imponi nobis non permittamus.

*Hinc à Contrariis demonstrabis,* quas curas & labores nullo in tempore homines illi subeant, quibus mundo servire placere propositum est.

II. Sub-